13

DE

PARACUSI.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
DIE XXVII. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXX.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

FRIDERICUS HOFMANN.
FRIEDBERGO HASSUS.

OPPONENTIBUS:

A. LIEPMANN, MED. ET CHIR. DD.
G. SCHWALBE, MED. ET CHIR. DR.
A. WERNHER, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI.
TYPIS FERDINANDI NIETACK.

PLURIM. REVERENDO

FRIDERICO HOUTH

MEDICINAE DOCTORI

AVUNCULO CARISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

GRATISSIMO ANIMO OFFERT

AUCTOR.

DE PARACUSI.

Paracusin, a graecis παρα et ακουω, perverse audire, eum organi auditus statum morbosum vocamus, quo auris sonos percipit, non extra ipsam natos.

Aegrotus sonum

1) vel modo in aure ejusque vicinia ortum,
2) vel nec in aure ejusque vicinia, nec extra eam natum percipit.
3) Soni aurem alio modo percutiunt, ac normali statu. —

Inde tres diversitates paracuseos redundant; distinguimus enim:

1) sonitum aurium verum,
2) sonitum aurium falsum,
3) anomalias acusticas.

Priores sonitum aurium et anomalias acusticas non discernentes, e sola varietate soni rationem distinguendi, sed perperam, desumebant. Sauvages primus vitia auditus respectu anomalae perceptionis in Paracousie et Tintouin divisit, et paracusin quod Itard anomalias acusticas et hypercusin, vocat.

Quamvis paracusin secundum diversitates modo dictas, in tres species distinguere licet, tamen ob causas, infra memorandas, de sonitu aurium vero et falso una disseram.

I. SONITUS AURIUM.

Sonitus aurium, prout varios sensus excitat, complures species complectitur, quae sunt: syrigmus, quo saepius sonitus in universum notatur; — sibilum, das Ohrensäuseln, das Ohrenpfeifen, — tinnitus, das Ohrenklingen: — murmura, das Ohrenmurmeln; — fremitus, susurrus, das Ohrenrauschen, Ohrensausen; — bombus, das Ohrenrasseln; — pulsatio, ototechnos, otonechnos, das Ohrenhämmern; — praeterea permultas varietates afferre aliquis poterit, illae enim sensationes anomalae a quoque fere hoc malo laborante variae describuntur. Saepius aegrotantes hasce passiones cum sono campanulae percussae acuto, vento furente, crepitu plaustri vecti, cantu discrepantis tetrachordi, murmure aquarum, susurru apum etc. comparant, auctoque erethismo his sonis interdum

inimicissime offenduntur.[1]) Itard e.g. historiam mulieris apponit, quae instante incendio exterrita, syrigmo, sibilationem flammae imitante, graviterque vexante corriperetur. —

Medici antiquiores,[2]) sonitum aurium e diversitate soni disjungentes, cuique diversae sensationi anomalae diversam causam proximam tribuebant; credebant enim, hoc symptoma perfici motu et agitatione aëris auri ingeniti, affirmantes, hanc agitationem vulgo produci per fumos ac ventos, qui ex toto corpore ad aurem venirent, ut fieri soleat in febribus, vel ex aliqua saltem parte, velut ex stomacho, aut cerebro, vel qui denique emergerent ex liquore aliquo pituitoso, cavitatibus auris incluso. Quin omnes tinnitus differentias qualitate, consistentia et motu liquorum, vel ventorum, in organo auditus collectorum, explicare conati sunt. —

Seriori tempore inter tinnitum et susurrum discernebant, existimantes, hunc e vaporibus humidis, illum e siccis aure inclusis proficisci.[3])

---

1) Chirurg. Handbibliothek Bd. IV. Itard über die Ohrenkrankheiten. 55. Beob. S. 194.

2) Duverney de organo auditus. Norimb. 1684. p. 45.

3) Wolter dissert. inaug. med. de susurratione aurium. Frankf. ad Viadr. 1770. p. 10.

Duverney[4]) hanc divisionem rejiciens, majorem bomborum istorum partem voces esse imaginarias judicat, eamque sensationem fallacem eodem modo, ac photopsiam oriri tradit, pariter enim ac oculi percussi in tenebris scintillas videant, sonos percipi concussione organi auditus, quae concussio causis, organi auditus membranis, aut cerebro ipso inclusis, producatur; — praeter hunc autem syrigmum imaginarium, pulsatione arteriarum, frictione manus, tumore cutem et cartilagines comprimente et atterente, emanantibus ex aure vaporibus, susurrum etiam verum excitare posse, non negat.

Wolter,[5]) qui tractatum de organo auditus a Duverney editum ignorasse videtur, antiquiorem divisionem in susurrum et tinnitum sequitur, dicens: «bina haec auditus vitia non tantum genio suo ac generationis loco, sed causis quoque, et curatione differunt. Susurrus enim in cavitate tympani nascitur et murmur, seu bombilationem apum, vel aquae delabentis, aut venti strepitum, tinnitus autem, cujus sedes praecipua in canalibus labyrinthi semicircularibus quaerenda est, sonum acutum campanulae

---

4) Duverney de org. aud. p. 46.

5) Wolter dissert. de susurratione p. 10.

percussae, nunc citius rursum nunc serius desinentem, aemulatur.» —

Sauvages[6]) secundum causas syrigmum inducentes septem species statuit: syrigmum enim a debilitate, syrigmum criticum, syrigmum plethoricum, syrigmum catarrhalem, syrigmum ab oxycaea, syrigmum a ventriculo, syrigmum cephalalgicum.

Leidenfrost[7]) divisionem in tinnitum et susurrum probat, illum autem in regularem, irregularem, et sibilum clangosum, hunc in quinque species diducit; contendens tinnitum regularem ex pulsatione arteriarum, irregularem ex morbis nervosis, sibilum clangosum ex vitiis tubae Eustachii; — susurrum ex aëre, ex fluidis acribus, aure inclusis, ex impedito refluxu sanguinis, ex morbis articulationis maxillae inferioris, ex instante apoplexia etc. originem ducere.

Itard, Saissy et recentiores syrigmi species respectu soni pro varietatibus quidem habent, sed nullius momenti putant, quippe quarum una in al-

---

6) Sauvages Nosologie method. Classe VIII. ordre IV.

7) Dissert. inaugur. med. de ti[illegible]u aurium resp. Joh. Heinr. Schedet. Duisb. 17[illegible] et Dissert. inaug. med. de susurru aurium resp. Franz Anton Wesener. Duisb. 1785.

teram transeat. Si largiamur, hoc saepius accidere, tamen diffitendum non est, sono peculiari, cum aliis juncto signis, nos ad certiorem diagnosin interdum perduci.

In universum sonitus aurium in continuum intermittentem et remittentem, in simplicem, complicatum et compositum, in primarium et secundarium, in chronicum et acutum, in levem et gravem, verum et falsum discernitur. Si respicimus prognosin et curationem, nonnullae harum divisionum maximi sunt momenti, ad explicandam autem rem ipsam, differentiae hactenus allatae parum valent. Divisio syrigmi in verum et falsum jam a Duverney proposita et ab Itard recepta convenit quidem, sed nonnullis mutatis aptiorem eam reddere conabor. —

A. SONITUS AURIUM IDIOPATHICUS.

Syrigmus propria nervi acustici passione ortus.

Hoc malum indolis variae esse solet: nunc enim vera est passio dynamica ex aucta sensibilitate vel irritabilitate, nunc passio materialis ex producto morboso, ramificationem, vel nervum ipsum obruente.

1) *Syrigmus idiopathicus dynamicus.*

Huc duae species referendae sunt. Sonitus enim

a) *vel per breve tantum tempus,*

b) *vel diutius existit; quod si est, saepissime initium surditatis nervosae exhibet.*

a) Prior harum specierum saepe derepente, sine ulla manifesta causa sibilo acuto orditur, sensim sensimque imminuitur, et uno vel altero horae minuto elapso, plane cedit. Sensus auditus ex more turbatus, imo durante sibilo, non est; raro tantummodo, nisi sibilum diutius persistat, dolores cum hoc malo consociantur.

Causam praximam hujus mali, pariter ac causam photopsiae post oculi contentiones in spasmo retinae, in spasmo extremitatum nervi acustici collocandam censeo.

Saepissime hicce status morbosus oritur, si aciem aurium ad precipiendum sonum submissum diutius et majori vi intendimus. Homines erethistici post vehementes concussiones organi auditus e. g. post tormenti explosionem, post animi affectus, primo auditum percutientes, hoc malo corripiuntur. Soni varietate carentes, diutius perdurantes animumque fatigantes, uti machinae hydraulicae, murmura delabentis aquae etc. idem inducere possunt.

Quod attinet ad prognosin et curationem, nullius est momenti; — si iterum iterumque appareat, erethismus est sopiendus.

b) Sonitus aurium prodromus surditatis ex paralysi.

α) Creberrime longius per temporis spatium hypercusis adest, quisque sonus, inprimis gravis, [8]) aurem multo magis solito percutit, et aegrotus tantummodo auribus erioxylo obstipatis, effectum clangoris hebetare valet. Hic status infestus longius aut brevius tempus aegrotum cruciat, donec subito plures post hebdomades surditas in locum hypercuseos succedat.

Hypercusis rarissime idiopathicus est morbus et Itard duos casus tantummodo enarrat; — saepius symptoma phrenitidis, otitidis, otalgiae etc. occurrit.

Hypercusis idiopathica morbus gravis est. Itard [9]) nulli remedio multum fidit, maxime tamen remedia lenientia, uti oleum amygd., fumigationes, vapores ex aethere, erioxylon ad meatum auditorium obstipandum etc. commendat.

β) Interdum sonitus aurium cum incipiente surditate oritur, ultima quasi vox morientis nervi; —

---

8) Itard chirurg. Handbibliothek. T. IV. p. 173.

9) Ebendas. T. IV. S. 172.

morte etiam syrigmus extinguitur. Aetiologia, prognosis et curatio a primitivo morbo pendent.

2) *Syrigmus idiopathicus a causa materiali.*

Praeter hunc syrigmum idiopathicum dynamicum alia species syrigmi idiopathici, ex materiali nervi acustici mutatione originem ducens, interdum occurrit. Haud raro suppressa cutis transpiratio, metastasis rheumatica, exanthematica, arthritidica, causam hujus mutationis sistit. Saepissime una cum syrigmo dysecoïa conjuncta, quandoque autem syrigmus sine ulla perturbatione auditus existit, qua de specie inprimis agamus. Equidem ipse multos jam per annos hoc malo laboro et descriptionem morbi offerre conabor. Subito post refrigerium syrigmo cum dysecoïa auris sinistrae correptus, remediis diaphoreticis per aliquod tempus dysacoïam quidem depuli, syrigmum autem efficacissimis remediis derivantibus, inferius dicendis, fugare non potui. Initio sonitus continuus molestissimus auditum admodum turbavit et socios clara voce loquentes aegre tuli, quia, sonum externum cum sonitu interno confundens, nil recte percepi, — consuetudine autem ductus mox quemque sonum a syrigmo distinguere potui, demumque in societate tumultuaria optime me habui,

quia tumultus susurrum obtudit. Annis tribus elapsis auditus adhuc integer, tinnitus autem continuus, nec sono, nec vehementia diversus. — Respectu causae proximae, materiam morbosam in nerveis partibus depositam, tinnitum continuum efficere, equidem existimo, indolem autem hujus mutationis nervi, an exsudatio inter neurilema, utrum ectasis minorum arteriarum nervi acustici causam praebeat, accuratius designare non valeo; — praecipue cum indagationes cultro anatomico hucusque institutae non sint; — quae disquisitiones tamen, me judice, parum diriment, cum quaeque mutatio oculis manifesta in tam tenero organo majorem, quam sonitum, turbationem haud dubie procreet.

Non semper vero eodem modo morbus decurrit, saepius post plures hebdomades remediis aptis adhibitis, aut natura ipsa syrigmus evanescit, interdum dysecoïa augetur, et in cophosin abit, — rarissimis in casibus totam per aetatem sine ulla mutatione perdurat.

Prognosis initio morbi non infausta: — syrigmus autem inveteratus saepius omne auxilium respuit; — interdum autem natura tandem debellatur.

De curatione infra exponam.

B. SONITUS AURIUM SYMPATHICUS.

Sympathicus syrigmus vocatur, ubi ex affectione totius systematis nervosi, aut alicujus partis, nervus acusticus simul affectus, sonitum procreat.

Permulti existant morbi, quorum comes est tinnitus et susurrus aurium; — nonnullos referam:

1) Saepius susurrum in helminthiasi et statu gastrico et saburrali[10]) et bilioso,[11]) fere semper cum dolore capitis, surditate, sopore, complicatum, nunc intermittentem, nunc remittentem, nunc non nisi durante[12]) digestione vigentem, observamus.

Prognosis et curatio ad morbum primarium conformantur; Itard profitetur, hanc speciem saepe quidem cum statu gastrico complicatam esse, remedia autem purgantia, per irritationem nervi sympathici, non per evacuationem, opitulari.

2) Syrigmus, quem in hypochondriacis et hystericis non raro animadvertimus, interdum fictus, interdum ab impedito sanguinis capitis refluxu ortus, interdum ab irritatione systematis nervosi, uti syrig-

---

10) Friedr. Hoffmann med. consult. T. I. Dec. II. Cas. IV. S. 137. P. V. Dec. Cas. IV. S. 115.

11) Boerhaave Consultat. med. Vol. II. S. 61.

12) Friedr. Hoffmann Opp. T. 4. S. 4. c. 6. §. 2. 9. 12.

mus gastricus, pendet, eandemque saepe curationem requirit.

Ettmüller[13]) causam syrigmi hypochondriaci in tensione tympani ponit.

3) Syrigmus prodromus apoplexiae. Modo susurrus, pulsatio, obtuso cum dolore capitis, si apoplexia sanguinea, modo tinnitus cum vertigine, spasmis etc., si nervosa imminet, offenditur.

4) Ante lipothymiam, post haemorrhagiam etc. fere semper sibilum percipimus; nervi enim compagibus privati, praevalentes, ipsi quasi sonos procreant, — aut si systema nervosum debilitatum est, ex nisu organi viribus destituti, prius robur recuperandi, susurrus oritur.[14]) Eodem modo explicari potest natura:

5) syrigmi in cachexia, magnaque debilitate,

6) et appropinquante morte. —

7) Syrigmum cephalalgiae nervosae comitem Lechevin et Duverney a tensione tympani derivarunt, — affectio autem sympathica ad sonos istos efficiendos sola jam sufficit.

8) Syrigmus ab erethismo nervoso, in mania,

---

13) Ettmüller Colleg. pract. Lib. II. Cap. 2. Art. 1.

14) Beck über Ohrenkrankheiten. S. 243.

phrenitide, et in morbis mentis generatim aucta cum contentione virium. Interdum susurrus aurium tam vehemens, ut aegrotum hypochondriacum, imo maniacum reddat;[15]) — saepius autem cum mania etc. complicatur, quo facto formam hallucinationis[16]) induit.

Multis praeterea aliis in morbis nervosis, uti spasmis, febribus nervosis etc. syrigmus observatur.

Jam veteres in constituendis morborum auguriis susurrum et tinnitum aurium magni momenti, saepius autem nimis sollicite, habuerunt, et ante susurrum depulsum aegrotos a recedivo morbo tutos non esse, putaverunt.

C. SONITUS AURIUM SYMPTOMATICUS.

Sonitus aurium symptomata alicujus morbi.

1) *Syrigmus a pulsatione.*

Jam medici antiquioris aevi non ignorarunt, ototechnon et bombum non raro a sanguinis vel nimia ad caput congestione activa, uti in febribus inflammatoriis etc. vel refluxu a capite impedito, uti in

---

15) Diction. des sciences médicales. T. XX.

16) Ejusdem.

angina membranacea, struma, morbis cordis etc. proficisci. Scriptores seriorum saeculorum, uti Caesalpinus,[17] Hoffmann,[18] Blancard,[19] Cotunni,[20] in sanguine fere unicam causam syrigmi cerni contenderunt.

Syrigmus oriri potest:

1) aut arteriis in vicinia auris nimis pulsantibus. Ototechnos tam vehemens et tam molestus, ut ab aegroto vix sustineatur. Compressione carotidum pulsatio aurium evanescit. Itard[21] pluries ab aneurysmate carotidis vehementissimum ototechnon observavit. Duverney[22] mulierem noverat, cui pulsatio aurium tanta fuit, ut vel adstantes pulsantem clangorem perciperent.

Sonus per partes solidas ad nervum ducitur.

2) aut arteriis in aure ipsa dilatatis;[23] qui su-

17) Specul. artis med. Hipp. Frank. 1605. p. 407.

18) Hoffmann de aud. vit. ex aton. 3. V. p. 241. cons. et resp. med. C. XXXIV.

19) i. a. W. p. 270.

20) a. a. O. p. 174.

21) Itard über die Ohrenkrankheiten. Chirurg. Handbibliothek T. IV. p. 183.

22) Duverney de orgono audit. p. 47.

23) Burser. institut. med. pract. T. III. p. 291.

surrus toties sentitur, quoties arteriolae tympanum e[t] membranas, parietes cavitatis investientes, hinc inde perreptantes, sub auctiori diastole pulsant, et aërem in antro hospitantem, solito fortius percutiunt, adeo que ad singularem motum tremulum adigunt. Eoden modo, ut tradit Wolter,[24]) tinnitus a pulsantibu[s] canalium semicircularium aut cochleae — quod sensu profundiori nonnihil conjicere licet — arterio lis, sanguine nimio infarctis, nimiumque proinde di latatis et unam aut plures chordas nerveas sonora veloci ictu identidem concutientibus, suscitatur.

Quandoquidem arteriae in substantia nervi acu stici dilatatae sunt, quare tinnitus aurium sine pu satione oritur, Wolter,[25]) — Cartheuser.

Itard,[26]) quamvis in cadaveribus arterias dila tatas in aure ipsa nunquam observavit, tamen e[a] rejicere non videtur.

2) *Syrigmus ex nimia tensione membranae tympan[i]*

Tympanum tendi potest:

---

24) Wolter dissert. inaug. med. de susurratione tinnitu aud. Franhf. ad Viad. 1770. p. 16.

25) Ejusd. p. 18.

26) Chirutg. Handbibliothek T. IV. p. 183.

a) spasmo musculi mallei interni, et musc. stapedii.[27])

Virum omnino integrum, qui ex lubitu, contentione quadam peculiari, tinnitum aurium subito evocare queat, novi, et saepius hoc experimentum iterantem vidi; — nisi ex arbitraria contractione musculorum tympani, hoc phaenomenon explicare nequeo.

Rarissimis in casibus musculus tensor tympani spasmo, vehemente cum dolore et clangore, rumpitur.[28])

b) deficiente secretione ceruminis. Omnes soni clariores percipiuntur.

c) myringitide; — quo in morbo nunc pulsationes vehemente cum dolore; nunc omnes clangores externi, uti in hypercusi, sentiuntur.

3) *Syrigmus ab aëre, cavitate tympani incluso.*

Jam veteres susurrum aurium aëre, cavitate tympani incluso, excitari putarunt (vid. supra) et Wolter susurrum[29]) hocce modo formari existimat: quando humores, ex cellulis mastoideis ad tym-

---

27) Burser. institut. med. pract. T. III. p. 291.

28) Saissy über die Krankheiten des innern Ohrs, übers. v. Westrumb. Götting. 1829.

29) Wolter dissert. de susurratione p. 12.

pani antrum paullatino fluxu delati, propter tubae Eustachianae obstructionem ad oris cavitatem defluere nequeunt, praeternaturaliter concervantur, sensimque calore in vapores resoluti, in sic dicto tympano minori, seu tenui et elastica illa membranula, quae fenestram rotundam claudit, et sua productione etiam cum stapede connectitur, similes motus tremulos quos apud homines sanos externa corpora susurrantia producere solent, excitat.»

Duverney[30]) susurrum aurium hac ex caus fieri omnino fere negat; — Itard[31]) autem tam experimentis quam argumentis probat, susurrum saepissime, inprimis post affectiones catarrhales, hoc e fonte profluere, dicens: quodque impedimentum mechanicum, circulationi aëris interni et externi se opponens, verum syrigmum producere valere, simi nimirum modo, quo susurrus oriatur in conclavi nimis calido, cujus aër calefactus per foramen tantum parvulum aufugiens, sonos susurrantes concitet. Ide accidit, digito meatum auditorium externum ex par obturante, tumoribus, concretionibus etc. circuitu liberum aëris interni et externi impedientibus.

---

30) Duverney de organo auditus. p. 47.

31) Chirurg. Handbibliothek T. IV. p. 184.

Leidenfrost, susurrum, affectiones catarrhales
t ulcera faucium syphilitica secutum, contraria at-
que Itard ratione interpretatur, contendens, valvulam
ubae Eustachii sani hominis clausam, saepius scor-
outo, ulceribus syphiliticis destrui, tumoribus catar-
rhalibus faucium etc. patefieri, quo facto susurrus
oriatur. Exempla allata sententiam ejus non pro-
bant; — argumenta Itardii fide digniora mihi vi-
lentur.

Prognosis et Curatio a morbo, cujus symptoma
usurrus exhibet, pendent.

l) *Syrigmus a fluidis, concretionibus et tumoribus in aure ipsa aut ejus vicinia contentis.*

Quaeque in organo auditus excreta materia et
luida et solida partim sono externo promtum adi-
um recusat, partim vicinas particulas premit tendit-
que et tensione extremitatum nervi sensationes ab-
normes procreat, simili ratione, qua compressio
nervi optici photopsiam excitat.

Fluida in cerebrum exsudata, tumores, excres-
centiae cerebri eundem effectum proferunt.[32])

32) Th. Bonnets Sepulc. anat. Lib. I. S. 2. obs. 63. Severin de obsc. recond. nat. l. 4. cap. 36. §. 2.

Haller[33]) aegrotum observavit, qui, peculiarem undulationem in aure conquestus, post mortem obtulit aquam in cavum tympani exsudatam.

Lentin[34]) aquulam Cotunni per rheumatismum, catarrhum etc. acriorem factam, nervum acusticum excitare, eaque excitatione syrigmum nasci, statuit. Leidenfrost[35]) causam proximam susurrus continui et molesti in fluctuatione materiae mucosae, in interioribus organi auditus accumulatae, esse ponendam, hoc experimento demonstrare conatur: aqua in aurem injecta majorem clangorem procreat, quam oleum, quia aqua facilius moveri queat.

Nonnunquam evenit, ut cum proruptione denti sapientiae tinnitus et susurrus vehementissimus, saepe cum dysecoïa complicatus, oriatur, quod malum ex tensione ramuli maxillaris nervi trigemini cum nervo faciali anastomosin ineuntis, explicari poterit. Nervus facialis quidem, ut opinantur anatomi peritiores, nexum non init cum nervo acustico, Bertin autem in osteologia obliquum perexiguum canalem

---

33) Haller disput. chirurg. select. T. II. n. 44.

34) Lentin und Kritter über das schwere Gehör herausgegeb. v. Niceus. Leipz. 1794. p. 123.

35) Dissert. inaugur. med. de susurru aurium resp. Fr. Ant. Wesener. Duisb. 1785.

aequaeductui Fallopii propinquum describit, per quem ramulus nervi facialis ad canales semicirculares provehatur.

Interdum laesiones nervorum auri vicinorum surditatem cum susurru continuo gignunt.[36])

5) *Syrigmus a frictione articuli maxillae inferioris.*

Quaeque vehemens contentio in movenda maxilla inferiore, e. g. masticatio ciborum durorum, frictione superficierum articuli sonitum aurium excitat.

Leidenfrost enarrat, in Batavia saepius se observasse, meniscum articuli maxillae exsiccare atque scrabrum fieri, quo fiat, ut motu maxillae inferioris syrigmus inimicus confletur; — eandem sensationem his partibus carie correptis effici, dicit.

6) *Syrigmus ab insectis aure iuclusis.*

Plures scriptores exemplis confirmant, insecta in meatum auditorium externum irrepsisse et agitatione syrigmum magno cum dolore excitasse; — inprimis pulicem aure inclusum ototechnon molestissimum et vehementissimum effecisse tradunt.

---

36) Lindhut observ. med. conc. observ. 56.

J. a. Vigo [37]) verme incluso undulantem fremitum evocatum esse enarrat,

RATIO MEDENDI.

Uti in omniquoque morbo, ita etiam in curando syrigmo primum causa exploranda eique medela accommodanda est.

Sonitus aurium, symptoma alicujus morbi exhibens, aut sympathia ortus, non peculiarem curam requirit, sed sublato morbo primario simul aufertur.

Syrigmus igiture, plethora, congestionibus, suppressis sanguinis profluviis ortus, venaesectioni, hirudinibus ad caput, aut pudenda, anum applicatis, pediluviis tepidis, laxantibus antiphlogisticis, regimini refrigeranti etc. saepe cedit.

Susurrus ex catarrho, angina natus, remedia resolventia, diaphoretica, emetica, — gargarismata etc. requirit.

Tubam Eustachianam muco aut aliis concrementis obstipatam emeticis, sternutamentis, gargarismatibus, aceto squillitico, tinct. pimpinell. remixtis, — aut injectionibus aperiamus, quem ad scopum instrumentis ab Itard inventis utamur.

---

37) Practica. Lugd. 1581. p. 455.

Lentin, [34]) antequam injectiones instituantur, aperturam tubae Eustachii spongia tenera specillo affixa et aqua tepida, aut spiritu saponato, aut solutione hydrargyri nitrici oxidati (in syphilitico morbo) imbuta, elui jubet.

Polypi meatus auditorii externi torquendo revellendi, aut ligando solvendi, aut cauterio sunt destruendi.

Contra alia, solutu faciliora, impedimenta in meatu externo haerentia Itard saepius hoc remedio magno cum fructu usus est:

℞ Sem Coriandr.
— Carvi ā ā ʒjj
Pom Colocynth. ʒj
coq. c. Ol. Rut. per horam dimidiam Col. adde.
Aq. meliss. vinos ʒj
ds. Saepius per diem nonnullae guttulae auri instillentur.

Affectus gastrici, hypochondria, hysteria, quorum comitem non raro syrigmus constituit, remediis aptis, uti resolventibus, evacuantibus, antispasmodicis etc. tollantur.

Susurrus et tinnitus erethismo nervoso universali

38) Kritter et Lentin über d. schwere Gehör p. 133

ortus, saepeque cum mentis morbis complicatus, (sonitus aurium falsus phantasticus) nisi erethismus a susurru pendeat, quod interdum accidit, minuto erethismo disparet.

Contra erethismum localem auris ipsius antispasmodica adhibeantur, auri cataplasmata tepida imponantur, aut balnea vaporosa localia administrentur, ut sudor eliciatur, oleum amygdalarum dulcium cum castoreo, cum opio, oleum hyoscyami coctum auri instillentur et vapores ex aethere in meatum externum suscipiantur.

Syrigmo materiam morbosam in nervo acustico ipso depositam secuto, transpiratio cutis forsan suppressa, aut morbus repercussus remediis convenientibus restituatur, aut alia ratione materia peccans derivetur. Hunc in finem fonticuli, setacea, vesicatoria perpetua ad cervicem administrentur simulque remedia porrigantur, quae secretiones lente sed continuo eliciunt, ut pilulae, vel pulveres Plumm. compositi, resin. guajac. aconitum, calomelas, camphora, regimen diaphoreticum, laconica, imperentur; nonnunquam remediis drasticis alvus laxetur, ut aucta resorptione materia morbosa evacuetur. Simul oleum amygdalar. cum oleo cajeput et ol. camphorato meatui auditorio externo aut aqua tepida nonnullis guttulis

aeth. sulphur mixta, tubae Eustachianae injicantur.

Contra susurrum a dilatatis arteriolis medela tantummodo palliativa adhibere potest. Aegrotus omnes vehementiores excitationes et corporis et animi vitet, caute exerceat corpus, saepius venaesectionibus, pediluviis tepidis, sanguinem a capite derivet. Saissy ab usu spirituosorum et aliorum remediorum, circulationem sanguinis in capite accelerantium, nonnihil utilitatis exspectandum censet. — Flores arnicae hunc in finem proponendi videntur.

Multa praeterea remedia contra syrigmum, praetermissa causa et natura morbi, uti fumus nicotianae per tubam Eustachii propulsus, panis cum semine carvi aliisque remediis aromaticis tostus calidusque auri externae impositus, etc. commendata sunt.

Omnequodque remedium respuens syrigmus curam palliativam requirit. Itard, ut aegrotus sublevetur et somnus valde turbatus placidior reddatur, sonitum aurium sonis analogis obtundi jubet et hunc in finem multo cum fructu flammam sibilantem camini, — horologii acutum sonum, fremitum molae etc. laudat. Non raro contigit, ut hac ratione aegroti in integrum restituerentur.

II. ANOMALIAE ACUSTICAE.

Aegroti sonos externos quidem, perverse autem, percipiunt, — sic. e. g. gravem sonum, acutum; simplicem, duplicatum audiunt.

Sauvages primus plures ejusmodi casus accuratius enarravit, primus anomalias acusticas à tinnitu aurium distinxit easque sub nomine paracusi, obauditione, paracysmate de Gorée descripsit. — Quatuors species paracuseos atulit iterum.

1) Paracusis baryecoïa. Soni acuti et clari non luculenter, graves autem et debiles, inprimis per intervalla relati, perfecte auribus percipiuntur. Sonum externum internum, externo non respondentem, hoc modo confusum clangorem excitare putat. Causam proximam hujus obauditionis in musculis internae auris debilitatis, qui tympanum et fenestram ovalem eo gradu tendere non valeant, ut sonus edi-

tus sono interno respondeat, ponit. — Graves sonos ea de causa clariores percipi asserit, quia tympanum sine contentione et dolore musculorum hisce cum sonis actionem reciprocam alere valeat.

2) Paracusis oxyecoia. Aegrotus sine dolore vehementiori sonos acutos et claros audire nequit (hypercusis).

3) Paracusis duplicata. Altera auris sonum vere et recte percipit, hic sonus autem confusus redditur clangore discrepante, quem altera auris recipit.

Haec anomalia admodum rara occurrit et Sauvages duo tantummodo exempla tradit, quorum unum ipsi, alterum collegae alicui offerebatur.

4) Paracusis Willisii. Aegrotus modo durante clangore et fremitu externo sonos percipit.

Hoc forsitan a relaxatione tympani est repetendum.

Sauvages quatuor ejusmodo casus tantum affert; — minus raro autem in molis, officinis ferrariis etc. occurrunt.

Curationem ex toto fere silentio praeterit; contra speciem paracuseos primam thermas sulphurosas imprimis commendat.

Interdum accidit, ut organon auditus unum tan-

tum sonum recipere possit; sic Stahl[39]) aegrotum observavit, qui non nisi sonum fistulae pastoralis perciperet.

Beck anomalias acusticas a turbatione aequilibrii inter nervos et arterias, vel in nervi acustici origine, vel decursu, vel propaginibus deducere conatur. De curatione nihil adhuc est diremtum, quod exempla tam rara sunt.

---

39) Stahl Colleg. cas. magn. 76. p. 330.

CURRICULUM VITAE.

Ego, Fridericus Hofmann, confessioni evangelicae addictus, natus sum anno hujus saeculi sexto, die XIII. a. Calend. Augusti, Friedbergae, Hassiae oppido, patre carissimo Philippo Hofmann, magno duci Hassiae a consiliis aulicis, matre Guilelma, de gente Badenia, dilectissima, quos parentes superstites intimo animo veneror. A sexto usque ad decimum quartum aetatis annum primis litterarum elementis, aliisque, quibus puer imbui solet, disciplinis instructus sum Friedbergae in schola, cui meritiss. Roth praefuit. Anno decimo quarto gymnasium Gissense florentissimum petii, ibique ad decimum octavum

aetatis annum moratus, examine abiturientium rite absoluto et testimonio maturitatis impetrato almae Ludovicae civibus, rectore Celeberrimo Stickel, adscriptus sum.

Per semestria quatuor hisce virorum illustrissimorum praelectionibus uti mihi licuit: Celebr. Wilbrand de anatomia generali, physiologia, botanice generali, historia naturali; — Illustr. Wernekink de osteologia, angiologia, neurologia, de anatomia cerebri, de anatomia comparata, de arte cadavera dissecandi; — Celebr. Nebel de encyclopaedia et methodologia medica, de politia medica; — Illustr. Schmidt de physice experimentali, mathesi; — Celebr. Liebig de chemia experimentali et analytica; — Illustr. Hillebrand de logice et psychologia; — Illustr. Balser de pathologia generali duces mihi fuerunt.

Biennio elapso Steinfurthum, Guestphaliae oppidum, me contuli, ibique exercitationibus chemicis, pharmaceuticis, nec non excursionibus botanicis a Celebr. Houth, avunculo meo carissimo institutis, interfui.

Per annum ibi moratus, ad universitatem ssensem redii et hasce lectiones frequentavi: ocuerunt me Celebr. Balser pathologiam atque erapiam specialem, Illustr. Vogt therapiam generalem, pharmacologiam, materiam medicam, xicologiam, chirurgiam et generalem et spealem, — Illustr. Ritgen artem obstetriciam, tam eoreticam quam practicam et herniologiam, — elebr. Rau morbos mentis. — Scholas clinicas phthalmologicas, therapeuticas et chirurgicas, uas Illustr. Balser et Celebr. Ritgen moderanur, per annum frequentavi. —

Post biennium almam universitatem Beroinensem adii atque rectore magnifico Illustr. egel in civium academicorum numerum receptus, ab Illustr. Wagner t. t. decano ordinis nedici in album adscriptus, dimidium per annum celeberrimorum et illustrissimorum virorum scholis eruditus sum. Ill. Kluge de akiurgia disserentem audivi; idem ad operationes chirurgicas me instituit. Denique scholis clinicis medicis chirurgicis et ophthalmiatricis Illustr. Bartels,

Illustr. Graefe, Illustr. Rust et Illustr. Kluge interfui.

Quibus viris ornatissimis, quas possum maximas habeo gratias, summae humanitatis qua me instituerunt docueruntque, nunquam immemor.

Tentaminibus tam philosophico quam medico et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, spero fore, ut, dissertatione ac thesibus palam defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Fractura et fissura cranii, nisi secreta neris effluere possint, vixdum ortae, motum exposcunt.

II.

Sanguis venosus non sanguis.

III.

Compressio indurationis benignae externae imum est remedium resolvens.

IV.

Dolores ad partum nisu non sunt ad-vandi.